

Kern 254  
(1-19)



(5)

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
 DE  
 MEDICAMENTORVM  
 MERCVRIALIVM  
 VARIA INDOLE.

---

QVAM  
 EX DECRETO  
 GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
 IN ALMA FRIDERICIANA  
 PRAESIDE  
 VIRO ILLVSTRI, EXPERIENTISSIMO,  
 DOCTISSIMO  
 IO. CHRISTIANO REIL,  
 MEDIC. ET CHIRVRG. DOCT. THERAP. PROF. PVBL. ORDIN.  
 DIRECT. INSTIT. MEDICI REGII CLINICI,  
 CIVITATIS HALENSIS PHYSICO,  
 PRO GRADV DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE  
 RITE CONSEQVENDO  
 DIE XXVIII. OCTOBR. 1800 LXXXX.  
 PVBLICE DEFENDET  
 CHRISTIANVS GEORGIVS BOERNER,  
 PRISIO - ORIENTALIS.

---

HALAE SAXONVM,  
 TYPIS TRAMPIANIS.



DISSELTATIO INVAICUALIS MEDICA  
DE  
MEDICAMENTORVM  
MERCVRIALIVM  
VARIA INDOLE.

---

AVIA  
EX BETTIS  
GRATIONE TAVATIS MEDICAE  
IN ALIA FRIDERICIANA  
PRASIDE  
VRO. HINIKI, HINIKI  
DOCTISSIMO  
IO. CHRISTIANO REIL,  
MEDIC. ET CHIRURG. DOCT. HAB. P. P. S. P. S.  
VRO. HINIKI, HINIKI  
DOCTISSIMO  
IO. GRADU DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

HAEC CONSERVANDO  
DIE XXIV OCTOB. 1800  
CHRISTIANVS GEORGIVS TOERNER  
HAB. S. P. S. P. S.  
HAEC S. P. S. P. S.  
HAEC S. P. S. P. S.

---



D E  
MEDICAMENTORVM MERCVRIALIVM  
VARIA INDOLE.

§. 1.

*Hydrargyrum (Mercurius, Argentum vivum)* ab illo tempore, quo Medici contra morbos syphiliticos in ipso levamen quaesiverunt, & pharmakon tritum & efficax deprehenderunt, tam varios praeparandi modos, tantasque mutationes, quoad formam & materiam, subiit, & tam multarum compositionum effecit partem constituentem, ut medicamentorum mercurialium, tam praeparatorum, quam compositorum farrago, quae in officinis prostat, & in pharmacopoeis descripta est, fere immensa sit. Itaque de materia medica bene meritos esse viros celebres *Schwedauer* <sup>1)</sup>, *Baldinger* <sup>2)</sup> & *Girtanner* <sup>3)</sup>, qui ordine systematico & synopsi tabellari conspectum horum mercurialium nobis dederunt, & res late diffusas ad quaedam summa capita revocarunt, nemo non judicat. Multum tamen deest, ut hujus classificationis utilitas redundet ad praxeos emolumenta, quum potius formam mercurialium medicamentorum, quam materiam, magis compositionem, quam agendi modum respiciat. Quare non inutilem vel plane superfluum laborem me suscepisse credam, si mercurialium numerosa praeparata, secundum ipsorum indolem & actionem ad generaliora capita revocare tentaverim. Vestigia inprimis sequor dilecti praeceptoris *Grenii*, quae in pharmacologia posuit <sup>4)</sup>. Propositiones generaliores, ratiociniis sanioribus ex experientia deductas, & inductiones e numerosa analogia depromptas maximi esse usus in therapia rationali, quisquis ipse videt; & hac ex causa aequos rerum arbitros meam operam haud aegre laturos esse, etsi metam non attigerit, spero atque confido.

§. 2.

Veteres medici hydrargyrum pro veneno habuerunt, ejusque usum averfati sunt. Id equidem significavit *Dioscorides* <sup>5)</sup> his verbis: „*Lethale potum argentum vivum*“

1) Praktische Beobachtungen über hartnäckige und eingewurzelte venerische Zufälle. p. 194 seq.

2) Historia Mercurii & Mercurialium medica I. Götting. 1783. 8. p. 63.

3) Abhandlung über venerische Krankheiten. Götting. 1788. p. 350 sq.

4) Handbuch der Pharmacologie, oder der Lehre von den Arzneymitteln, T. II, Hal. 1791. 8. p. 214 sq.

5) Libr. V. cap. 69.



„vum est, pondere suo interanea disrumpens.“ Vtrum venenum sit, nec ne, *Galenus* <sup>6)</sup> in medio relinquit, affirmans: „Nullum ejus feci periculum, neque quod interimat, si devoratur, neque ubi foris admota sit.“ Opinioni de venenata natura testis quoque *Plinius* <sup>7)</sup> est, qui perhibet: „Argentum vivum venenum rerum omnium est, exedit ac perrumpit, vasa permanans tabe dira.“ Vulgus quoque inter nos hodie talem vim deleteriam tribuit hydrargyro vivo.

*Arabes* primum hydrargyri usum externam ad curanda ulcera mala, scabiem, aliosque morbos cutaneos pravos commendarunt. Sic *Avicenna* <sup>8)</sup> affirmat. „Hydrargyrum extinctum valet scabiei cum oleo rosaceo & ulceribus malis.“ Alio quoque loco testatur <sup>9)</sup>, plurimos a potu argenti vivi non laedi. Quam vero lues venerea ad finem seculi XV. magnas strages in Europa late daret, & dirissimo modo in multitudinem hominum saeviret, medici mox experti sunt, hunc morbum sudorificis aliisque decantatis alexipharmacis medicamentis non succumbere. Ob similitudinem vero, quam scabies habebat cum morbo gallico, pustulis & ulceribus totum corpus ut plurimum tunc temporis vexante, unguenta ex Mercurio parare consueverunt Medici, Arabum autoritate felicique cura innixi, ut inter omnes notant *Andreas Alcacar* <sup>10)</sup>, *Ioan. Paschalis* <sup>11)</sup>, *Arnoldus de Villa nova* <sup>12)</sup>, & *Mercurialis* <sup>13)</sup>. *Fallopius* <sup>14)</sup>, autem testis est, *Jacobum Berengarium a Carpi* vel *Carpensem*, in exercitu *Caroli VIII.* Gallorum regis, qui urbem Neapolim obsidione cingebat, medici vices gerentem, primum fuisse, qui mercurium in unguentis ad morbum novum debellandum felicissimo successu tentaverit, et membris infricaverit. Ad initium seculi XVI. secula Chemicorum, vel potius Alchemistarum, duce famoso illo *Paracelso*, infurrexit & irruit in medicinam Galenicorum, quae suetis suis pharmacis, antidotis & compositionibus novo & saevissimo malo neapolitano limites ponere ipsique mederi non potuit. Fortiora medicamenta e metallis & mineralibus chemica arte parabant, quae more suo encomiis maximis super leviora saepiusque incassa Galenicorum remedia multum extollebant. Mercurii quoque praeparata interne adhibuerunt nimia audacia praediti, & princeps illorum *Paracelsus* praefidens heroicis hisce mercurialibus internis luem debellabat felici successu, quem ipsius obtrectatores inficias ire non potuerunt. Non constat, quonam hydrargyri praeparato *Paracelsus* ad curandam luem interne usus fuerit; vero simillimum autem est, illum Turpethum minerale adhibuisse. Ab illo tempore usus mercurialium internus invaluit, Hydrargyrum autem varias, immo innumeras, subiit mutationes, quoad formam & materiam, ut medicamen-  
rum

6) De simplicium medic. facultatibus. I. IX. de metallicis medicam.

7) Historia naturalis. I. XXXIII. c. 6.

8) Lib. II. Tr. II. c. 45. & L. IV. Fen. VII. tr. III. c. 6.

9) L. IV. Fen. VI. Tr. I. Sam. I. c. 2.

10) L. I. de morb. gallico. c. 12.

11) L. I. Meth. medend. c. 2.

12) L. II. breviarum. c. 43.

13) L. II. de morb. cutaneis. c. 4. in fine.

14) De morb. gallico. c. 76.

rum & mite evaderet, & drásticas vires, quae multis ipsius praeparatis insunt, exueret.

## §. 3.

Antequam vero praestantissimorum hydrargyri praeparatorum indolem, eorumque defectum recenseo, necessum duco, ut effectus sensibiles, quos in corpus humanum exferit, si vario modo intus sumitur, ipsiusque agendi modum exponam.

Mercurius currens seu vivus, nullos prodit effectus, quam quod tractum intestinorum percurrat, & ad summum ventriculum & intestina oneret.

A succo gastrico caeterisque primarum viarum liquoribus inquilinis minime solvitur, nec per vasa resorbentia in secundas vias transducitur, quam vis cohaesionis inter ipsius moleculas major sit, quam vis attractionis seu resorptionis vasorum. Perperam etiam credunt, mercurium vivum pro scybalis induratis menstruum, seu incidens esse posse; & tantum abest, ut volvulum solvat & situm intestinorum praeternaturalem reducat, ut potius pressione & tensione per magnum pondus suum spasmos & constrictiones augeat. Nunquam enim per se ipsum stimulum tollere, vel irritabilitatem praeter naturam auctam imminuere potest.

## §. 4.

Quod si vero vel calcinatum, vel menstruo salino nuptum ingeritur, sensibili vi agit hydrargyrum in corpus humanum, inque vias secundas assumitur, & maxime peculiare habet effectus. Generaliores modo hic recenseo. Accelerat pulsus & cordis motum, incitat circuitum sanguinis, promovet secretiones varias vel salivae, vel urinae, vel perspirationis, augeat motum peristalticum ita ut alvum laxare, vel vomitum producere valeat. De validissima ipsius vi aperiente, nemo facile dubitat. Secundum variam quantitatem, qua porrigitur, secundum variam mixtionem, & indolem, & variam aegri conditionem, vel hanc vel illam maxime promovet secretionem. In statu enim calciformi completo praestat vires irritantes, acres, stimulant, drásticas, purgantes, immo emeticas, in statu salino vel causticum & dirum venenum praebet, vel, si iusta dosi & provida manu porrigitur, diuresin maxime promovet; in statu vero calciformi incompleto mitissime stimulat, a succo gastrico solvitur, in vias secundas recipitur, & in primis secretionem salivalem adauget, & effectus per totum corpus diffundit maxime sensibiles, si debita quantitate ac rite sumitur.

## §. 5

Licet vero vires mercurii aperientes & excretiones promoventes in aperto sint & ad liquidum exploratae consent, de causa tamen effectus & agendi modo adhuc



sub iudice lis est. Quidam effectus illos aperientes a vi menstrua solvente, quam mercurius in fluida & contenta excerceat, deducunt, alii a vi incidente mechanica derivant, alii in ipsius gravitate seu potius pondere causam efficientem quaerunt.

Quod autem I. illorum opinionem attinet, qui credunt, mercurialia agere vi chemica solvente in sanguinem & fluida, ipsa attenuare, & fluidiora, & ad excretionem magis prona reddere, huic obstat, quod hydrargyrum jam in tam parva copia organa excretoria ad excretionem sollicitet, qua nullo modo, ut solvens, in massam humorum agere potest. Primario modo menstruum contentorum esse nequit mercurius, quam praeparata ipsius sicca & solida, e.g. Aethiops, salivationem per se producant; & tamen omnibus sanioribus chemiae principii repugnet, corpus solidum esse solvens & attenuans fluidi. Nec ullum datur praeparatum mercurii, quod teste casta experientia, humorem quendam corporis attenuet & fluidiorem reddat. *Cullenius* <sup>15)</sup> saepissime expertus est, sanguinem per venae sectionem e corpore, cui magna hydrargyri copia erat ingesta, detractum nullam mutationem subiisse; & ipsius consistentiam omnino non imminutam deprehendit. Qui vim menstruam mercurii defendunt, argumentum quidem pro hypothesis sumunt ab odore foetido oris cum salivatione semper conjuncto, & a magna copia salivae tenuioris. At haec phaenomena probant quidem mixtionis mutationem, quam humor salivialis sub usu mercurialium patitur, probant adauctam ipsius secretionem; indirectam vero solutionem & attenuationem non demonstrant.

§. 6.

II. Qui vero effectus hydrargyri & illius praeparatorum a vi mechanica incidente derivant, opinionem eo modo exponunt, quod mercurius ob mobilitatem globulorum, & parvitatem molecularum, in quas dividi possit, liberrime vasa minima intret, in humores viscidos intrudatur, partes aggregatas ab invicem removeat, incidat & disjunctat, sic fluidiores & ad excretionem magis aptas reddat. Quis vero non videt, hanc hypothesis solummodo in mercurium vivum, non vero in ipsius calces & salia quadrare, itaque falsam esse?

§. 7.

III. Hypothesis illorum, qui in pondere molecularum mercurialium causam efficientem vis aperientis quaerunt, firmioribus argumentis non nititur. Ponunt quidem, globulos hydrargyri illos sanguinis gravitate specifica multum superare, & sic majori vi in circuitu humorum projici, usque ad vasa minima protrudi, & lympham disiongere posse; sed ruit opinio, si perpendimus, pondus specificum esse relationem densitatis, hancce

15) *Materia medica*. Verf. germ. per *Consruch*. p. 501.



hancee imminui in ratione voluminis, volumen partium mercurialium autem in calcinatione & solutione ita augeri, ut ipsarum pondus specificum illud humorum non superet. Attamen hydrargyrum solutum & aquoso vehiculo dilutum, & ipsius calces minutissime divisae nihilominus produnt vim aperientem; & excretionem promovent.

## §. 8.

IV. Tandem immortalis Cullen<sup>16)</sup> mercurialium vim excretionem promovendi, alio adhuc modo explicare tentavit; explicationem vero pro mera conjectura vendidit vir ingenuus ac modestus. Putat nimirum, quod Hydrargrum peculiarem habeat affinitatem cum sale alcalino volatili, quam exinde probat, quod sal ammoniacum mercurium sublimatum multo magis solubile in aqua reddat. Qua ex causa, juxta ipsius sententiam, mercurius cum sale ammoniacali feri sanguinis conjungitur, & facilius per varias vias excretorias e corpore eliminatur, quam omnes notae substantiae. Concessa vero copiosiori excretionem salis ammoniacalis per glandulas salivales mox perspicere posse, putat, cur hydrargyrum tam facile salivationem producat. — Equidem confiteor, huic hypothesei obstare graviora argumenta. Primo enim major solubilitas mercurii sublimati in aqua ope salis ammoniaci nil probat pro magna affinitate hydrargyri ipsius ejusque calcis cum sale ammoniacali, quum ex parte ab acido muriatico dependeat, caeteraque salia mercurialia per sal ammoniacum solubilia non reddantur. Secundo autem sal ammoniacale feri sanguinis, si ad partes proximas respicias, mere hypotheticum est, nec ullis probari potest experimentis chemicis.

## §. 9.

Causa primaria actionis mercurialium in corpus humanum, seu illa, qua excretionem ejuscunque generis pro varia sua indole & copia promovent, in sola *vi stimulantem*, quam in organa excretoria exercent, residere videtur. Stimulus, dico, quem efficiunt medicamenta mercurialia in organa se- & excretoria, est causa primaria eorum actionis, cujus effectus est adacta se- & excretio. Solummodo ergo agunt in solidum vivum, irritabilitate praeditum. Vis vero stimulans & irritans in aprico est I. in *calce perfecta mercurii*, e.g. Mercurio praecipitato per se, mercurio praecipitato rubro, turpetho minerali, in quibus tanta est, ut pene caustica dici possint. Ob validum stimulum hae calces perfectae jam in ventriculum, cujus acido gastrico solvantur, & in intestina tanta vi agunt, ut tamquam emetica & purgantia sese praebent, & facillime hyperemesin & hypercatharsin producere possint. Itaque prius eji-ciuntur, quam justa copia in secundas vias transferint. II. Vis stimulans aperte sese prodit in *salibus mercurialibus*, sapore acerbo, metallico, nauseoso, & quorundam acri

16) L. c. p. 503.

acri & caustica indole, quam perperam a solo acido ipsi nupto deduceres. Hicco stimulus aliquorum hujus generis salium, si justos limites ipsorum dosis transgreditur, jam in ventriculo & intestinis eo gradu agere potest, ut topica inflammatio, gangraena & mors sint ipsius pedissequae; justa vero dosi saepius alvum laxant, vel etiam emesin efficiunt, si irritabilitas fibrarum ventriculi & intestinorum justum tonum superet. Quando vero, salva partium irritabilitate, paucissima modo copia porriguntur, qua primarum viarum irritabilitatem non ita sollicitare possunt, ut mox evacuentur, in vias secundas transeunt, & vulgariter secretionem urinae promovent. III. Minus stimulantibus sunt *calces mercurii imperfectae*, e. g. Aethiops per se, Mercurius solubilis. Phlogisto quidem non penitus, sufficiente tamen copia sunt orbatae, ut ab acido gastrico solvi possint. Praebent cum ipso sal mercuriale mitioris indolis, quod fibram irritabilem ventriculi & intestinorum non tantum stimulat, quantum ad producendam emesin vel purgationem necesse est; in vias secundas recipitur, & ob mitiorem indolem diuresin non tam valida vi urget, quam salia acriora, sed usque ad glandulas salivales, & per totum systema lymphaticum stimulum extendit. Itaque ad salivationem proficiendam hae calces imperfectae imprimis aptae sunt, sive interne adhibeantur, sive externe per cutem recipiantur.

## §. 10.

Contra hanc explicationem actionis mercurialium, quam in solam vim stimulantem majorem & mitiorem pono, argumentum a vi aperiente mercurii regulini desumptum, mihi objici potest. Dicunt enim: quando mercurius currens subtilissimo divisus, vel per inunctionem vel per os in corpus suscipitur, excretiones promovet, & salivationem producit; attamen in mercurio regulino nil deprehenditur, a quo ad ipsius vim stimulantem, irritantem concludi potest. Argumentum magno esset momenti, si probari possit, mercurium vivum seu regulinum istis effectibus revera gaudere. Quae vero opinio fallacia causae nititur. Nam omnibus praeparatis, in quibus mercurium regulinum adesse putant, modo subtiliter divisum, inest ipse in statu calciformi imperfecto, seu tanquam aethiops per se. Huc pertinet *Aethiops mineralis*, *Mercurius saccharatus*, *Mercurius alcalisatus*, *Mercurius gummosus* PLENKII, *Unguentum neapolitanum*. Trituratione enim mercurius mox in calcem incompletam abit, & eo facilius, si interjectis aliis particulis majori superficiei ipsius aëris respirabilis accessus conceditur. In hisce praeparatis ea sola pars mercurii efficax se praestat, quae calciformis est, reliquae particulae regulinae, quae insunt, vi medica penitus destituuntur.

## §. 11.

Quum generaliores mercurialium effectus hic modo recensero, de variorum hypothesebus, circa hydrargyri actionis modum in virus syphiliticum nil adducam, sed ad

ad scopum, quem mihi proposui, transeo. Varia enim mercurii praeparata ad generaliora capita revocabo, eorumque naturam & indolem pro viribus exponam, ut appareat, quatenam inter se congruant, quoad mixtionem & effectum, & in tanta ferragine eo facilius delectus institui possit in usum praxeos.

## §. 12.

Praeparatis mercurialibus inest *hydrargyrum*,

## I. in statu regulino,

\* *Mercurius vivus depuratus*.

## II. in statu calcis,

a. *imperfectae*,

1. *Mercurius solubilis HAHNEMANNI*.

2. *Aethiops Mercurii per se*.

3. *Mercurius cinereus SAUNDERI*.

## Compositae

4. *Mercurius alcalisatus*.

5. *Mercurius saccharatus*.

6. *Mercurius tartarisatus SELLII*.

7. *Mercurius gummosus PLENKII*.

8. *Aethiops mineralis*.

9. *Aethiops antimonialis*.

10. *Unguentum neapolitanum*.

11. *Emplastrum mercuriale*.

12. *Mixtura antisiphilitica SAUNDERI*.

13. *Pilulae antisiphiliticae SAUNDERI*.

14. *Unguentum mercuriale SAUNDERI*.

15. *Pilulae ex mercurio gummoso PLENKII*.

16. Sy-

16. *Syrupus mercurialis* PLENKII.

17. *Pilulae aethiopicae* EDIMB.

18. *Pilulae mercuriales Londinens.*

(19. *Mercurius dulcis.*)

*b. perfectae.*

20. *Mercurius praecipitatus per se.*

21. *Mercurius praecipitatus ruber.*

22. *Arcanum corallinum.*

23. *Pulvis principis.*

24. *Panacea mercurii rubra.*

25. *Turpethum minerale.*

26. *Turpethum album.*

27. *Mercurius praecipitatus WÜRZII.*

Composita.

28. *Unguentum mercuriale rubrum.*

29. *Balsamus ophthalmicus Pveanus.*

III. In statu salino,

30. *Mercurius nitrosus.*

31. *Mercurius sublimatus corrosivus.*

32. *Mercurius praecipitatus albus.*

33. *Tartarus mercurialis.*

34. *Mercurius acetatus.*

Composita.

35. *Aqua mercurialis CHARRASII.*

36. *Aqua*

36. *Aqua grysea* GOHLII.

37. *Liquor BELLOSTII.*

38. *Unguentum citrinum* PARIS.

39. *Trochisci s. pilulae* KEYSERI.

#### IV. in statu sulphurato,

40. *Cinnabaris factitia.*

41. *Cinnabaris antimonialis.*

Reliqua, quae supersunt, mercurii praeparata in nostris officinis minus usitata, seu ad magistralem formulam ex tempore paranda, haec praetereo, quum omnino ad unam vel alteram classem a nobis recensitam pertineant. Transeo ad specialem praeparationem harum classium descriptionem, differentias, characteres essentielles, qualitates specificas, generumque similitudines, quoad actionis modum.

#### §. 13.

### I. Hydrargyrum regulinum.

Hydrargyrum regulinum, s. mercurius vivus, si ipsius usum in vulvo, de quo jam §. 3. dictum est, excipias, per se nunquam ut medicamentum, sed solummodo ad alia praeparata conficienda adhibetur. Quum vero vulgo credunt, quibusdam compositionibus inesse hydrargyrum regulinum, modo subtilissime divisum, de ipso hic agere constitui.

Hydrargyrum est metallum perfectum, maxime fusibile, quod frigore ad grad. 40. subter 0 thermom. Fahrenheit. descendente, demum coagulatur. Desinitur omni sapore ac odore. In igne in auras abit, & ad calorem gr. 600. Fahrenheit. ebullit, & in vapores elasticos transit. Ab aere respirabili vix mutatur, & splendorem metallicum vix amittit, quando superficies stat placida & tranquilla. Si vero triturationi & conquassationi sub aëris accessu subicitur, in superficie mutatur in calcem gryseam vel gryseo-nigram, omni splendore spoliatur metallico, & multas acquirit qualitates, quae antea ab ipso alienae erant.

Hydrargyrum regulinum ignis & aëris communi actione in perfectam abit calcem, rubram, splendens, acrem, quae vero sine addito combustibili corpore in vase clauso ope caloris candentis in hydrargyrum regulinum reducitur.

B

Nostrum



Nostrium metallum regulinum solvitur ab acido nitroso, muriatico dephlogistica-  
to, & vitriolico concentrato; ab hoc tamen modo in calore ebullitionis. Nec aci-  
dum muriaticum vulgare, acidum fluoris, boracis, nec sacchari, tartari, aceti, benzoës,  
phosphori, nec ullum acidum vegetabile vel animale hydrargyrum regulinum aggre-  
ditur. Quod si autem phlogiston vel ex parte, vel penitus orbatum, seu in calcem  
mutatum est, cum omnibus acidis tam mineralibus, quam vegetabilibus & animalibus  
connubium init, & sal metallicum cum ipsis constituit.

Salia neutra & media nullam habent vim in mercurium via humida, qua etiam  
salia alcalina neque fixa, neque volatilia eum solvunt.

Quum in primis viis nullum datur menstruum mercurii, nec saliva, nec succus  
gastricus, nec bilis, nec alias succus inquilinus intestinorum ipsum solvere potest,  
facile perspicitur, quod plane iners sit immutatusque ejiciatur. Ipsi autem cohaerentia  
nimis magna est, quo minus in substantia per vasorum ostia resorberi possit. Con-  
clusio vero a praeparatis, quibus mercurium regulinum & subtiliter divisum inesse cre-  
dunt, ad ipsius efficaciam nil valet, quum probari possit, illa ad eorum classem pertine-  
re, quae mercurium imperfecte calcinatum continent.

Aqua pura nullam vim menstrua seu solventem in hydrargyrum habet. Id  
quod ex analogia caeterum metallorum jam colligere possumus, nisi experimentis *Le-  
merii* junioris <sup>17)</sup> extra omnis dubitationis aleam positum esset. Attamen multi,  
iique egregii medici in aqua, cum mercurio vivo per aliquot horas cocta, virtutem  
omni labi verminosae exitiosam invenerunt, e quorum numero modo *Hundert-  
mark* <sup>18)</sup>, *Doverum*, *Rosensheimium* <sup>19)</sup> & *Piderit* <sup>20)</sup> allego. Quaeritur nunc,  
an mercurius regulinus cum aqua decoctus, evolaturus, se recipiat in eandem aquam,  
& longe tenuissimo halitu, partibus ex pondere vix mensurandis, aquae impertiat vim  
anthelminticam; an potius plumbo, mercurio admixto, laudata virtus sit adscribenda.  
Plumbum enim liquefactum aquae eandem impertiri virtutem, testantur *Pallas* &  
*Hempel* <sup>21)</sup>. Mihi verosimilius videtur, quod illa pars mercurii, quae semper  
in ipsius superficie, aëris accessui exposita, imperfecte calcinata adest, copia ex pon-  
dere vix mensuranda in aqua per decoctionem suspendatur, ipsique vim anthelminticam  
tribuat. Ex hujus decocti virtute saltem nullum argumentum pro efficacia hydrargyri  
regulini in corpus humanum peti potest.

## II. Calx

17) v. *Macquer* chem. Wörterb. P. IV. S. 139.  
*Gren* system. Handb. der Chem. P. II. T. II.  
S. 2259.

18) de Mercur. viv. & cum salibus varie mixt.  
in c. h. summa vi. p. 73.

19) Anweisung zur Kenntniss und Cur der Kin-  
derkrankheiten. Edit. II. p. 337. 339 sq.

20) *Pharmacia rational*. p. 111.

21) *Piderit* l. c.

## II. Calx hydrargyri,

## a) imperfecta.

## §. 14.

*Calx hydrargyri imperfecta* mihi illa est, quae parte phlogistica non penitus est orbata. Est pulvis mollis, niger, seu gryseo-niger, odore proprio aes referente, sapore metallico, subacri. Differt ergo multum ab hydrargyro regulino, splendidissimo, inspidissimo, inodoro, fluido. Mercurius vivus porro non solvitur ab acido muriatico, & acidis vegetabilibus, quae tamen calcem illam suscipiunt, & cum ipsa in salia mercurialia abeunt. Phlogisticam ipsius indolem probat aër nitrosus, qui ex ipso per acidum nitri evoluitur.

## §. 15.

Hydrargyri incompleta calcinatio vel via sicca vel humida fieri potest. I. Perficitur jam solo aëre respirabili sine ullo adhibito sensibili calore. Aër scilicet vitalis terrae mercuriali subtrahit principium inflammabile, non tamen plenarie, sed pro parte modo. Inde fit, ut argentum vivum statum regulinum in superficie pedetentim amittat, si aëri exponatur. Admodum miror, *Cel. Macquerum* <sup>22)</sup>, hanc mutationem exinde derivasse, quod pollen in aëre semper circumvolitans in hydrargyri superficiem se deponat, ipsi adhaereat eamque obfuscet. Immortalis jam *Boerhavius* <sup>23)</sup> ante ipsum experimentis probaverat, in vase optime clauso & aëre repleto mercurium vivum in talem calcem mutari. Hic hydrargyrum per alutam pressum cum aqua pura lotum, dein sale marino contritum, iterumque ablutum, siccatum, splendidum, pondere unc. XVI., in lagenam vitream, siccam fudit, eamque subere puro, siccissimo, solidissimo obturavit, & aperturam caemento resinoso & linteo optime clausit. Lagenam ita instructam indidit cistellae lignae eo modo, ut in ipsa immobilis staret. Totum apparatus nunc curavit assignandum ad caudicem tundentem molendinae fulioniae noctes diesque mobilis, modo spiraret ventus, a prima Martii anni 1732 ad decimam tertiam Novembris ejusdem anni; fuit semper ad perpendicularium elevatus & demissu concussus. Lagena postea aperta, fuit mercurius undique tectus polline mollissimo, nigro, copioso, tenui. Pressione per alutam puram transit mercurius liquidus purus, restitit in aluta pulvis ille saporis aeris, metallici, odorem aeris utenique referentis. Quum vero vir incomparabilis suspicaretur, forte quid haerere posse in argento vivo alienae ab eo indolis, & motu separari inde specie illius pulveris, illud e

cornu-

22) l. c. p. 138.

23) De mercurio dissertationes duae, in *ipsius opuscul.* Hag. Comit. 1738. p. 129 sq.

cornuta vitrea LXI. vicibus iteratis destillavit, hujusque purissimi mercurii uncias binas curavit conquassandas molendina fullonia, eodem prorsus modo, opere & tempore. Pulvis nascebatur mollis, niger, saporis acris, metallici, aes referentis, ad duas drachmas & viginti sex grana; igitur plus octava. Tandem *Boerhavius* mercurium in cucurbitis vitreis, conicis, fundo plano instructis, phiala chemica vitrea inversa clausis, exposuit igni 180 graduum per plures menses. Fiebat niger deditque pulverem nigrum, similem omni dote; quare concludit, ignem hoc in gradu & quassationem idem agere in mercurium. *Boerhavius* vero, ut probaret, hunc pulverem non esse faecem seu aliqui peregrini argento vivo inhaerentis, eum in mercurium vivum reduxit. Drachmas nimirum duas, cum granis viginti sex, pulveris nigri, antea dicti, e retorta pura vitrea, igni valido aperto urisit, ut postremo per horas binas retorta canderet. Erant in excipulo drachmae duae cum granis duobus argenti vivi purissimi, insipidi, splendentis.

## §. 16.

Pulvis ergo niger, qui in superficie argenti vivi colligitur, quando aëris accessui patet, revera est calx mercurii. Quod probatur adhuc magis inde, quod aër vitalis ipse huic operationi inserviens talem patitur mutationem, qualem in aliis processibus phlogisticis & in calcinatione aliorum metallorum sentitur. Nam aër vitalis, qui huic calcinationi imperfectae inservit, partem respirabilem amittit & in aërem phlogisticum transit; volumine & pondere minuitur. Porro argentum vivum modo in ratione copiae aëris calcinatur, quare in experimentis *Boerhavi* mox recensitis pars hydrargyri tantummodo in pulverem nigrum s. aethiopen transmutata est. Haec omnia probant experimenta a *Cl. Gren* instituta<sup>24)</sup>. Indidit nimirum amalgama, ex quinque partibus argenti vivi pari quatuorve plumbi paratum, splendidum, purum, in lagenam vitream, epistomio vitreo obturatam, quae aëris puri s. dephlogisticati uncias sex (ad volumen sumtas), includebat. Lagenae saepius per diem concussa, amalgama in pulverem nigrescentem abiit. Orificium lagenae postea in hydrargyrum immerisit, & epistomio tum educto, illud affurgere observavit. Aërem inclusum uno fere pollice cubico deprehendit imminutum, magisque phlogisticatum.

## §. 17.

Itaque extra omnis dubitationis aleam mihi positum esse videtur, argentum vivum solo aëris accessu jamjam in calcem abire, & pristinas qualitates amittere; pulveremve nigrum, qui in superficie hydrargyri conquassati colligitur, veram esse calcem licet imperfectam. Phlogisticam ipsius naturam, seu imperfectam calcinationem inde facile erimus, quod cum acido nitroso evolvat aërem nitrosum, quem perfecta calx hydrargyri, e. g. mercurius praecipitatus per se, non producit.

## §. 18.

24) Diff. de genesi aëris fixi & phlogist. p. 57 sq.



## §. 18.

Quam attractio aëris vitalis erga phlogiston mercurii regulini causa sit hujus calcinationis imperfectae, in aperto est, cur trituratione, & conquassatione, interjectis aliis corpusculis, ex hydrargyro faciliori negotio ac breviori tempore impetrari possit pulvis ille niger, seu Aethiops mercurii. Hac enim operatione superficies hydrargyri extenditur & amplificatur, & majori accessui causae efficientis ansa datur. Sic D. *Saunders* refert <sup>25)</sup>, se ex una libra argenti vivi, cum quantitate clavorum ferreorum & pauxillo aquae inclusi in pyxide, quam in itinere per quadringenta miliaria anglica rotae rhedae affixerat, duas uncias pulveris nigri mercurialis obtinuisse.

## §. 19.

II. Via etiam humida mercurius in calcem imperfectam seu Aethiopem redigi potest. Licet enim solutione mercurii vivi in acido nitroso ipsius phlogiston evolatur, quod cum menstrui parte aërem nitrosum constituit; restat tamen pars phlogisti in calce soluta, & eo magis, quo minor calor adhibitus fuerit. Quando nunc huic solutioni additur praecipitans, quod non solum acidum in se suscipit, sed etiam calci liberatae partem phlogisti porrigit, haec pulverem nigrum refert, aethiopi mercurii per triturationem obtento omnibus notis similem. Huc pertinet *Mercurius solubilis Hanemanni*, *Turpethum nigrum officinarum*, & *Pulvis mercurii cinereus Edimburgensium*. Solvatur nimirum mercurius vivus, purus, in acido nitri, puro, non nimis concentrato, evitato omni calore externo; solutio limpida, saturata, decantetur; cum aqua pura destillata miscetur, & solutioni addatur spiritus salis ammoniaci caustici tantum, quantum ad praecipitationem calcis mercurialis requiritur. Calx praecipitata subsideat, & decantato liquore, edulcoretur & siccetur. Hoc in processu phlogiston salis alcalini volatilis a calce mercurii attrahitur, & cum ipsa constituit calcem imperfectam, illi similem, quam per solam triturationem argentum vivum exhibet.

## §. 20.

Calx mercurii imperfecta omnibus caeteris mercurialibus praeparatis palmam praecipit, si ad usum internum respicimus. Quam phlogisto non penitus orbata existat, illa acredine & vi nimis stimulante caret, quam in calce perfecta hydrargyri merito abhorremus. Solvitur ab acido succi gastrici, constituit sal solubile, multo minus tamen acre, quam calx perfecta exhibet. Hoc sal mercuriale per vasa resorbentia recipi & in vias secundas, inque systema lymphaticum transire potest. Recipitur etiam in substantia, ob maximam partium tenuitatem & molecularum subtilissimam

25) *Lewis* neues engl. allgem. Dispenfat, ed. recent. P. III, p. 332 sq.

tilissimam parvitatem, per vasa resorbentia, sicuti efficacia unguenti mercurialis grysei, in quo mercurius vivus in talem calcem imperfectam mutatus adest, & adeste debet, clare demonstrat, si hocce unguentum cuti infricatur. Causa minoris vis stimulantis & irritantis, quae nostrae calci inest, in ipsius combinatione cum phlogisto seu minori dephlogisticatione quaerenda est. Scimus chemicorum periculis, tam acida, quam metallorum terras hisce multum analogas, vires peculiare eo minus ostendere, quo magis phlogificata sunt. Exemplum nobis praebet arsenicum, ejus vis deleteria, caustica, summe irritans augetur detrahendo ipsi phlogiston, minuitur hujus combinatione. Itaque stimulus, quem calx hydrargyri imperfecta in primi viis jam excercet, non tantus est, ut ipsa mox per vomitum vel per alvum ejiciatur, si recta dosi porrigatur. Transire ergo potest in vias secundas, sed ob mitiorem indolem organa uropoëtica, quae secundum leges naturae acria sanguinis cum latice aquoso secernunt, non tam valide sollicitat, quam salia mercurialia magis caustica, sed vim suam expandit usque ad systema lymphaticum, & ad glandulas salivales, & inprimis apta est ad producendam salivationem. Solvitur nostra calce problema Cel. *Marqueri* <sup>26)</sup>; ut inveniatur scilicet praeparatum mercurii, quod non solum solubile, sed etiam ab omni causticitate liberum foret. Laude maxima utique dignus est Cl. *Hahnemann* <sup>27)</sup>, qui praestantiam ac eminentiam calcis mercurii imperfectae prae caeteris praeparatis proprio libro ante oculos posuit.

## §. 21.

Praeparata mercurialia, quibus hydrargyrum in statu calcis inest, jam supra (§. 12. II.) indicavi, sed necesse est, ut singula perlustrem, ipsorumque convenientiam, differentiam & defectum expendam. 1. *Aethiops mercurii per se*, sola trituratione & conquassatione hydrargyri paratus, medicamentum nobis mercuriale quidem praeberet, omnibus virtutibus praeditum, quas in mercurio solubili laudat *Hahnemann*, in pulvere mercurii cinereo laudant *Saunders & Home*; attamen ipsius productio nimis taediosus ac diuturnus labor est, quo minus in officinis apte confici possit.

## §. 22.

Ad praeparata mercurialia, quae aethiopem mercurii vehunt, pertinent 2. *Mercurius alcalifatus*, 3. *Mercurius saccharatus*, & 4. *Mercurius tartarifatus*. Quae medicamenta sic conficiuntur, ut argenti vivi pars una teratur cum partibus duabus vel terrae absorbentis, vel sacchari, vel cremoris tartari, in mortario vitreo vel lapideo, usquedum omnes mercurii currentis globuli plane evanuerint, & tota mixtio in pulverem gryseo-nigrum sit conversa, in quo nil mercurii regulini, ne oculo quidem armato, sese praebet. Vulgo credunt, hisce praeparatis inesse mercurium vivum,

26) l. c. p. 199.

27) Unterricht für Wundärzte über die venerischen Krankheiten. Lips. 1789. 8 maj.



vum, modo subtilissime divisum, & hac ex causa illa ad primam classem mercurialium referunt. Sed error in aprico est. Nam mercurius nunc solubilis redditus est in acidis, quae ipsum antea non aggrediebantur, uno verbo, in aethiopem mutatus est, a mercurio vivo, quoad indolem, solubilitatem, & qualitibus sensibilibus toto coelo diversum. Trituratione enim argentum vivum, sicuti jam exposuimus, in calcem imperfectam abit, quam Aethiopem per se dixerunt. In hoc vero casu, ope interjectarum materialium, seu corporum intermediarum, argentum vivum magis dividitur, inque innumeros globulos dirimitur, qui sub trituratione perpetua novam superficiem aëri respirabili porrigunt, quo fit, ut semper calcinatio oriri possit; divisione ipsa quoque superficies magis amplificatur, & causa efficiens majorem extensionem acquirit. Vix vero possibile est, ut haec calcinatio satis aequabilis fieri possit, quin restent globuli regulini, quae visui se subtrahunt. Pharmacopoei quoque dexteritati & probitati proba praeparatio est relinquenda. Si vero in hisce praeparatis restant partes mercuriales nondum calcinatae, doses & effectus sunt incerti, quum hae partes regulinae ex argumentis supra prolatis plane sunt inertes. Caeterum pars revera efficax, quae tamquam aethiops per se, praeparatis hujus generis inest, nil aliud est, quam calx mercurii imperfecta, quam quoque habemus in mercurio solubili satis semperque aequalem. Quae quum ita sint, haecce mercurialia plane superflua & ex officinis proferibenda esse contendo. In adjectis vero seu admixtis corporibus nemo vim efficientem horum remedium quæret, quae facillimo negotio mercurio sic dicto solubili etiam addi possunt, si circumstantiae id requirant.

## §. 23.

De 4) *Mercurio gummoso* PLENKII multi iique praestantissimi medici credunt, ipsi mercurium regulinum subtilissime divisum inesse suspensum, immo solutum, sicuti cel. autor ipse perhibet. Hoc praeparatum ita conficitur, ut argenti vivi pars una cum gummi arabici partibus duabus in mortario lapideo tamdiu teratur, usquedum omnes globuli mercurii plane dispareant; quo facto Syrupi Dyacodii vel alius additur uncia semis.

In hoc processu meram solutionem mercurii non fieri, jam *Saunders* probavit. Effectus hujus mercurii gummosi nec ab accuratiori distractione & subtilissima divisione globulorum mercurialium, nec ab affinitate chemica inter gummi arabicum & argentum vivum, sicuti Cel. *Plenk* contra chemiae principia contendit, dependet. Omnis efficacia, qua gaudet, in sola calce mercurii imperfecta, quae sub trituratione oritur, & ob tenuitatem molecularum postea per mucilaginem gummi arabici se in aqua suspendi patitur, est quaerenda. Quum vero productio hujus calcis ejusque integritas a variis circumstantiis, imprimis vero a trituratione exacta, perseverante, dependeat,

pendeat, facile perspicimus, efficaciam mixtionis non semper sibi aequalem obtineri. Globuli enim mercurii mox majori, mox minori copia restabunt, & licet ipsi manerent suspensi, nullum tamen prodent effectum, si ingerantur. Sequitur ergo, mercurium gummosum *Plenkii*, optime paratum, esse Aethiopem mercurii per se, cum Gummi arabico conjunctum, & hocce medicamentum praestantiori & semper uniformi methodo confici posse, si mercurius solubilis *Hahnemanni* cum gummi arabico vel alia mucilagine combinatur. Idem valet 5) *de pilulis ex mercurio gummofo*, & 6) *de Syrupo mercuriali* PLENKII.

## §. 24.

7) *Aethiops mineralis* quoque nihil aliud est, quam calx mercurii imperfecta cum sulphure combinata. Ad medicos usus paratur terendo partes aequales argenti vivi & florum sulphuris in mortario lapideo, donec omnes globuli mercuriales evanuerint & tota massa in pulverem nigrum abierit. Aethiops mineralis, qui per fusionem conficitur, quoad mixtionem, differt ab illo, & ad medicos usus non paratur. In hoc vero per triturationem parato argentum vivum nequaquam inest modo subtiliter divisum, sed imperfecte calcinatum; & mixtio calcis mercurialis & sulphuris non est chemica, sed mere mechanica. Flores enim sulphuris non alio modo ac caeteri pulveres, calcinationem globulorum hydrargyri promovent, sed potius ipsorum intervertunt globuli mercurii magis dividuntur & sub trituratione novam semper aëri calcinanti superficiem offerunt. Omnino efficax est aethiops mineralis, sicuti omnia praeparata, quibus inest calx mercurii imperfecta; ejusque sulphur non impedit, quo minus salivationem producat, sicuti etiam *Cl. Marcard* <sup>28)</sup> illam fere lethalem ab ipso ortam vidit. Opprobria, quibus usum aethiopsis mineralis reprehendit magnus *Boerbavius* <sup>29)</sup>, non quadrant in illum, qui trituratione proba & exacta paratus fuerit, sed potius in aethiopem fusionem productum. Dicit enim, „Aethiops mineralis est pulvis inodorus, insipidus, nullo modo acer, nulli rei facile miscendus integre. Datus intra corpus, non valet vasa absorbentia venosa, vel chyliifera, vel lymphatica ingredi, sed recta tantum per fistulam intestinalem propulsus, si fortunato operatur, vermibus forte necatis, ano exit. Decipiuntur, qui alios inde effectus sperant, quos inde natos nunquam videre potui. — Salivationem non ciet, quia venire nequit in sanguinem. Quis vero sit effectus a materie, quae composita tam diu manet, non videtur actuosior quacunque ponderosa insulsa terra?

Omnis autem efficacia aethiopsis mineralis competit calci hydrargyri imperfectae, quae ipsi inest; quum autem hujus calcinatio uniformiter fieri nequit, semperque globuli

28) *Thompsonii* medicinische Rathschläge a *Cl. Marcard* ex anglico in germ. idioma transl. p. 367.  
29) *Institution. chemiae* Vol. II. edit. lipf. p. 431.

bus mercuriales majori vel minori copia remanent, essi visui se subtrahant, omni efficacia destituti; huic quoque praeparato mercuriali miscelam, e mercurio solubili *Hahnemanni* et sulphure, longe anteponendam esse, quisque judicabit, qui rem secundum sanioris chemiae principia, & sine praecoccupato animo inquirat.

## §. 25.

8) De *Aethiope antimionali* idem valet, quod de minerali dictum est. Ipsi enim efficacia et vis pendet a calce mercurii imperfecta, quae partem constituentem miscelae efficit. Integritas vero et perfectio praeparationis in diuturniori trituratione quaerenda est, quae tamen eum gradum vulgariter non attingit, ut nil regulini restet. Quare etiam hanc praeparandi methodum proferberem, et simplicem mixtionem mercurii solubilis *Hahnemanni* cum antimonio ipso substituerem, si posteriori adhibendi ratio adesset.

## §. 26.

9) *Mercurius cinereus Saundersi* etiam ad calces imperfectas hydrargyri pertinet, & maxima ex parte aethiopen mercurii per se refert. Paratur sequenti modo. Mercurii dulcis & salis alcalini volatilis anaticae partes teruntur invicem, post humectationem cum pauillo aquae, per aliquod tempus in mortario lapideo. Color albidus mercurii dulcis mutatur in gryseo-nigrum. Tandem pulvis remanens aqua destillata abluitur & siccatur. Mercurius dulcis ab acido muriatico & calce hydrargyri constituitur, calx ipsi inest non plene dephlogificata, & acidum, quod vehit, multum superat ratione ponderis, ita, ut sal insolubile atque insipidum, omni acredine destitutum, efficiat. Ope salis alcalini volatilis non solum calx hydrargyri plus phlogisti acquirat, sed pars acidi muriatici quoque ipsi detrahitur, ita, ut pulvis remanens, quoad maximam partem, calcem mercurii imperfectam praebet. Qua ex causa vires & indolem aethiopsis mercurii per se possidet. Quum autem ipsius confectio nimis sumptuosa, & longinqua sit, non video, cur ipsi mercurius solubilis *Hahnemanni* non praefendus sit.

Cacterum compositiones, quas Cl. *Saunders* ex hoc mercurio cinereo conficiendas commendavit, e.g. 10. *Mixtura antisiphilitica* (e mercurii cinerei gr. XII, mellis & gummi arabici ana drachm. II, & aquae unc. XII); 11. *Pilulae antisiphiliticae* (e mercurii cinerei drachm. I. & saponis venetae scrupulo I, numero XL, factae) & tandem 12. *Unguentum mercuriale* ipsius (e mercurii cinerei drachm. I. & axungiae porcinæ unc. I.), faciliori & magis aequabili methodo e mercurio solubili parari possunt aequae efficaces ejusdemque indolis.

§. 27.

13) *Pilulae aethiopicae Edimburgensium* <sup>30)</sup>, & *mercuriales Londinen-  
sium* <sup>31)</sup>, ad illorum mercurialium praeparatorum classem pertinent, quae hydrargy-  
rum imperfecte calcinatum vehunt. Compositio harum pillularum eo convenit, quod  
argentum vivum vel cum melle, sulphure antimonii aurato & gummi guajaci, vel  
cum extracto liquiritiae, & pulvere liquiritiae teratur, usquedum omnes globuli mer-  
curiales subacti sunt. Hydrargyrum ipsis non inest in statu regulino; quod si esset, ut-  
plurimum inertes illas dicere oportet. Illa pars mercurii, quae sub agitatione & tri-  
turatione in aethiopem abit, ipsas efficaces reddit. Ab hoc aethiope mercurii pilu-  
lae Edimburgensium quoque nomen trahunt. Quum autem haec calcinatio mercurii  
itidem a circumstantiis pendeat, & multi globuli mercuriales in massa dispersi calcina-  
tioni se subtrahere possint, utramque pillularum compositionem exulem facere oport-  
ere, nemo facile inficias abit. Si argenti vivi loco substituat calx mercurii imper-  
fecta, aequabiliter paranda, e. g. mercurius solubilis, medicamentum habebis, quoad  
integritatem & probitatem praeparationis, omnibus numeris absolutum.

§. 28.

Restant adhuc 14) *Unguentum neapolitanum* & 15) *Emplastrum mercuria-  
le*, quibus mercurium etiam inesse credunt regulinum, quibus vero inesse vel inesse  
debet calciformis. Ad conficienda haec medicamenta, argentum vivum ope tritura-  
tionis extinguitur terebinthina, usque dum omnes globuli mercuriales evanuerint.  
In hac extinctione mercurius in minimos globulos divisus itidem per aërem respirabi-  
lem calcinatur & in aethiopem mutatur, qui nixtioni colore nigrescentem impertit,  
eamque efficacem reddit. Multi vero globuli regulini remanent, licet non in con-  
spectum veniant, qui plane inertes judicari debent, quum, posita ipsorum resorptione  
per vasa cutanea, circumagantur in massa humorum, quin mutationem producere vel  
organa secretoria sollicitare possint. Quidam putant e. g. *Macquer* <sup>32)</sup>, quod pars  
illa mercurii, quae revera efficax existat in unguento neapolitano, vel per acidum pin-  
guedinis, vel per ipsius integram massam soluta sit. At acidum pinguedinis non ag-  
greditur mercurium currentem, & modo partem remotam pinguedinis efficit, quae  
ob intimam conjunctionem cum caeteris partibus remotis per se nullos prodit effectus  
peculiares; pinguedo vero ipsa nullam vim menstruam erga hydrargyrum regulinum  
habet. Melius itaque esset, & purioris chemiae principii congruum, inque praxeos  
usus redundaret, si hae omnes compositiones, quas mercurius vivus ingreditur, ex  
mercurio solubili conficerentur.

§. 29.

30) *Lewis* neues allgem. engl. Dispensat. P. II.  
p. 789.

31) *Londner* Apothekerbuch, überf. und her-

ausgegeben von *Efschenbach*. Lips. 1789. 8.  
p. 149.

32) l. c. p. 199.



## §. 29.

Quum enim omnia hucusque recensita praeparata omnem vim & efficaciam hydrargyro calcinato, seu potius ipsius parti, quae in calcem imperfectam seu aethiopem abierit, debent, haec calcinatio vero aequabiliter non fit, vel nimis sumptuosa & taedio plena est; productio hujus calcis via humida, ejusque ad compositiones jam dictas applicatio omnibus palmam praeripit. Hujus generis est 16) *Turpethum nigrum officinarum*, s. *mercurius praecipitatus niger*, *Pulvis mercurii cinereus Edmurgens.*, quem Cl. *Hahnemann* etiam sub nomine *mercurii solubilis* non ita pridem commendavit & descripsit. Confectionem ipsius *Cel. Gren*<sup>33)</sup> ita docuit. „Recipe mercurii vivi, depurati, partes tres, quas in cucurbita vitrea superfunde acidi nitri, non nimis concentrati, & ab acido muriatico & vitriolico immunis, parte una. Stent in digestionem frigidam sub repetita agitatione; caveto tamen, ne mixtio incalcescat, & solutio nimium phlogisti amittat. Quare vas immitte aquae frigidae. Post nycthemeron liquorem effunde, & mercurium nitrosum forte cristallisatum solve in aqua destillata; mercurio, qui nondum solutus remanet, iterum affunde recens acidum nitri usquedum penitus solutus sit. Solutionem mercurii nitrosam cum aquae distillatae sufficiente quantitate, e. g. decem partibus, dilue & filtra. Postea spiritus salis ammoniaci tantum instilla, quantum ad praecipitationem calcis mercurii requiritur. Calx hydrargyri fundum petit, & pulverem nitrosum, tenuem, refert, qui per chartam bibulam separatus, & multa aqua probe edulcoratus, siccatur.“ Jam supra exposuimus, hunc pulverem esse calcem hydrargyri, illi per triturationem perficiendam omni ratione simillimam; ipsius vero praeparatio omnino praefenda est, quia faciliori negotio, majori copia, & uniformiter hanc calcem nobis praebet. Praeterea illam ab intermixtis partibus regulinis immunem esse, certi esse possumus. Optandum ergo esset, ut omnia praeparata antea dicta, e. g. unguentum neapolitanum, aethiops mineralis antimonialis, mercurius saccharatus, & quae sunt caetera, ex hac calce humida via parata, conficerentur, quorum efficacia & doses sic certiores redderentur, & determinatis limitibus circumscriptae essent, quum praeparata hujus fuci nunc temporis ob intermixtos globulos mercurii nondum calcinatos modo pro parte non determinanda praestant effectus.

b) *Calx perfecta.*

## §. 30.

*Calces hydrargyri perfectas* habeo illas, quae phlogisto penitus sunt orbatae, & hac ex causa cum acido nitri nullum evolvunt aërem nitrosum. Duplici etiam via, humi-

33) l. c. p. 236 seqq.

humida & sicca, parantur. Calx utraque methodo producta, gaudet acredine multum majori illa, qua aethiops per se pollet. Fere caustica est habenda. Sapor ipsi est penetrabilis, acris, metallicus. Externe si applicatur, caustica vi rodit; interne si porrigitur, tanto stimulo jam primas vias sollicitat, ut evacuationes ventriculi & intestinorum producat, immo hyperemesin & hypercatharin procreare valeat. Drastrictis igitur merito adnumeratur. Prius ejicitur, quam in vias secundas suscepta sit. Solvitur quidem ab acido succi gastrici, sed sal acre, nimis irritans efficit, quod magis evacuando operatur. Quare haec calx perfecta non apta est ad promovendas secretionnes secundarum viarum, nec facile sanguinis & humorum massam intrat, ut actionem suam per corpus, praeter tractum intestinorum, late expandere possit. Omnia acida cum calce hydrargyri perfecta conjunctionem ineunt, ne iis quidem exceptis, quae argentum vivum non aggrediuntur.

## §. 31.

Via sicca producitur haec calx ex argento vivo, sicuti calces aliorum metallo-  
rum ignobilium, ope ignis & aeris; attamen peculiaris indoles hydrargyri, ipsius scilicet volatilitas, calcisque reductio sine materia combustibili per solum ignem, proprias encheireses requirit, quas optime docuit Cl. WEGELE<sup>34)</sup>. Hydrargyrum igne ita actum vertitur de fluido in pollinem, pondere adactum, colore fulgente, rutilante, sapore acri, metallico, qui non amplius volatilis est eo gradu ignis, quo mercurius prius avolabat. Vase clauso reducitur in igne candente in mercurium currentem. Ita serpens semet momordit, moritur, rursus resurgit a morte gloriosior. Hanc mercurii calcem, solo igne paratam, dixerunt 17) *Mercurium praecipitatum per se*. Ipsi usus vero jure meritoque exolevit, quum ejus productio laborem nimium taediosum, longinquum, & sumptuosum requirat, & calx hydrargyri via humida orta, omnique phlogisto orbata, ipsius vices omnino impleat, & ab ipso plane non diversa sit.

## §. 32.

Talem calcem mercurii perfectam praebet 18) *Mercurius praecipitatus ruber*. Nimirum ad illum conficiendum solvitur argentum vivum in acido nitri ope caloris, quo fit, ut phlogiston mercurii magna ex parte avolet, quod cum acido nitri aërem nitrosum constituit. Solutio saturata in vase vitreo calore balnei arenae ad siccitatem evaporatur, & massa remanens in catino terreo vitreato, sub perpetua agitatione tandiu calcinatur, donec calorem rubrum splendens acquiriverit. Hoc praeparatum a calce mercurii solo igne producta nullo modo differt, nec acidi nitrosi ipsi quid ad  
haeret.

34) Chemisch-mineralogische Beobachtung, P. I. S. 23 sq.



haeret. Iisdem ergo gaudet qualitatibus & viribus, quae huic competunt. Quando huic mercurio, sic dicto *praecipitato rubro*, superfunditur spiritus vini, qui postea accensus deflagrat, pulvis remanens dicitur 19) *Arcanum corallinum* s. *Mercurius corallinus*. Sed tota operatio nil mutat in mixtione calcis, quae potius, illa peracta, eadem gaudet virtute & acredine, quam antea. Nomina ergo, quae ipsi dederunt, majori jure tamquam synonyma mercurii praecipitati rubri sunt habenda. Idem quoque valet de 20) *Pulvere principis* & 21) *Panacea mercurii rubra*, quorum praeparationem descripsit Lewis<sup>35)</sup>.

## §. 33.

Ad calces perfectas hydrargyri 22) *Turpethum minerale* s. *mercurius praecipitatus flavus* quoque pertinet, nec merito salibus mercurialibus adnumeratur. Argenti vivi partibus quinque affunduntur in cucurbita vitrea acidi vitrioli concentrati partes sex, & miscela ad ebullitionem usque in balneo arenae calori permittitur. Acidum vitriolicum nunc aggreditur mercurium, & cum ipsius phlogisto aërem constituit sulphureum, s. gas vitriolicum, quod in auras abit. Remanet calx mercurii cum parte acidi combinata, quae ad siccitatem usque evaporatur. Massa alba sicca aquae fervidae postea inspergitur, quae pulverem flavum praecipitat, post edulcorationem exsiccandum. Acidum vitriolicum, quod huic calci adhaeret, in conspectum venire nequit, nec indolem salis mercurialis ipsi impertiri potest. Tantam tamen dephlogisticationem non habet, quanta mercurio praecipitato rubro competit; sed ustulatione demum in hunc abit. Caeterum non multi minori vi agit, si intus suscipitur, & merito acrioribus, nimis irritantibus, drasticis, adnumeratur mercurialibus.

## §. 34.

Porro ad calcium perfectarum mercurii classem referre debemus 23) *Mercurium praecipitatum Würzii* s. *Turpethum rubrum Paracelsi*. Per praecipitationem solutionis hydrargyri in acido nitri ope caloris paratae, addito sale alcalino fixo vegetabili, conficitur. Per solutionem mercurii, quae calore perficitur, jam maxima pars phlogisti auferitur, quae cum acido nitri aërem nitrosum efficit. Absorpto nunc acido, quod calci in solutione adhaeret, per alcali vegetabile, calx ut plurimum dephlogisticata fundum petit. Itaque hoc praeparatum ad mercurialia nimis drastica & aciora pertinet.

## §. 5

Mioris indolis est 24) *Turpethum album*, quod per praecipitationem solutionis mercurii in acido nitri in calore factae ope salis volatilissimi alcalini aëri paratur.

35) Neues engl. Dispensar. P. II. p. 644.

Colore gaudet albo, & sapore fere omni caret, quando probe edulcoratum fuerit. Attamen haecce mercurii calx minus phlogificata est, quam mercurius solubilis, proptereaque cum acido succi gastrici, si interne adhibetur, sal praebet magis acre & irritans, ita ut primas quoque vias ad evacuationes perquam facile sollicitet. Acidum aëreum, quod ab alcali praecipitante in se suscepit, ipsam non reddere potest mitiorem. Caeterum ejus praeparatio vix aequabilis fieri potest, & hac ex causa vires calcis sunt inconstantes & ambiguae.

### III. Salia mercurialia.

#### §. 36.

*Salia mercurialia* appello combinationes calcium mercurialium cum acidis, in aqua solubiles. Differunt inter se quam maxime, ratione calcis, quam plus minus phlogisto orbatam continent, & ratione acidi plus minus caustici. Illa enim, quibus calx mercurii inest dephlogificata, majori vi stimulante & acredine praedita sunt, quam alia; & salia mercurialia cum acidis mineralibus parata, maxime sunt irritantia, immo caustica. Merito adnumerantur remediis, maxima circumspectione, & cauta manu adhibendis. Justa dosi data, potius diuresin, quam aliam excretionem promovent, si salvus intestinorum tonus adest. Ob majorem stimulum, quem produunt, si ventriculi & intestinorum fibrarum irritabilitas major est, quam naturali tono par est, laxando operantur, saepe drastice, immo emesin cient. Tandem ut caustica, lethifera, venena agunt, si ipsorum dosis limites perangustas transgreditur. Salia mercurialia cum acidis vegetabilibus producta, ob phlogificam horum indolem mitius quidem agunt, sed rarius in usibus medicis adhibentur.

#### §. 37.

25) *Mercurius nitrosus* a calce mercurii & acido nitri constituitur. Differt vero quoad suam indolem & vim ratione calcis plus minus dephlogificatae. Nimirum argentum vivum jam sine calore adhibito ab acido nitri solvitur, & calx mercurii, quam solutio tenet, eo majori copia phlogisti pollet, quo minori caloris gradu solutio facta fuerit. Quare solutio mercurii ope caloris parata majori causticitate gaudet, & quoad crystallisationem & praecipitationem alia phaenomena praebet quam illa. Differentias specificas, quae inter utramque praesto sunt, tradiderunt *Bergmann*<sup>36)</sup>, *Fourcroy*<sup>37)</sup> & *Gren*<sup>38)</sup>. Solutio mercurii nitrosa, quae ad usus

<sup>36)</sup> de analysi aquar., in ejus opusc. Vol. I. p. 102 f. & de praecipit. metallic. Vol. II. p. 386.

<sup>37)</sup> Elemens de Chemie. T. III. p. 130 f.

<sup>38)</sup> Systemat. Handb. der Chemie. P. II. T. II. §. 2167-2276.

usus medicos, imprimis internos, adhibetur, semper sine calore externo parata sit, incessè est. Acidum porro, quod solvendo mercurio impenditur, nitrosum ab omni acido vitriolico & muriatico liberum esse debet. Posterius enim mercurium praecipitatum album efficit, qui ex parte solvitur & post crystallisationem sal praebet, a mercurio sublimato corrosivo non diversum. Postremo ad probam hujus medicamenti praeparationem requiritur, ut solutio sit saturata, nec acidum vehat liberum. Rectè ergo monuit Cl. Meyer<sup>39)</sup>, mercurium nitrosum liquidum, ad usus medicos destinatum, nunquam e sola miscela hydrargyri & acidi nitri parari debere, sed modo crystallos e solutione saturata per evaporationem obtentas, in charta bibula a liquore ipsis adhaerente liberatas, rursusque in aqua destillata solutas esse adhibendas. Omnino illos taxandos esse credo, qui ad conficiendum mercurium nitrosum liquidum certam copiam hydrargyri in acido nitri solvendam praescribunt. Non fieri enim nequit, ut acidum nitri plus minus concentratum, mox minorem mox majorem copiam argenti vivi requirat, antequam saturatum fuerit. Necessè potius est, ut semper argenti vivi quid remaneat non solutum, quo certiores esse possumus, solutionem esse perfecte saturatam. Mercurius nitrosus, si ad regulas mox recensitas conficitur, mercurium sublimatum corrosivum non superat causticitate. Ad medicamenta ex ipso composita pertinet: 26) *Mercurius liquidus Parisiensium*, s. *aqua mercurialis* CHARASII, qui ex mercurii vivi uncia una in aquae fortis uncia una cum dimidia soluta & aquae fontanae uncis triginta diluta paratur. Non probanda est haec formula; quia ob majorem minoremve acidi concentrationem solutio nondum saturata mercurio esse, & aqua fontana etiam propter partes calcareas & seleniticas illam decomponere potest. Porro huc pertinet 27) *Aqua grysea* GOHLII, quam e mercurii vivi uncia una, & totidem aquae fortis conficiunt, quibus dissolutis affundunt uncias nonaginta & sex decocti radices chelidonii, herbae ejusdem, Solani, Aristolochiae, & florum rosarum. Hanc aquam cum 28) *liquore Bellostii* convenire Cl. KLEIN<sup>40)</sup> annotat. Vtrumque vero remedium mercurium nitrosum cum simplici aqua destillata dilutum viribus superare vix credo. Tandem mercurius nitrosus quoque intrat 29) *Unguentum citrinum Suecorum*, quod paratur dissolvendo mercurii vivi unciam unam in aquae fortis sufficiente quantitate, solutionem affundendo axungiae porcinae calore liquatae uncis duodecim, & cum ipso probe agitando & miscendo.

## §. 38.

30) *Mercurius sublimatus corrosivus* ex acido salis muriatici & calce mercurii compositus est. Mitto ipsius variam praeparationem, quam notissima sit. Hic vero anim-

39) Ueber eine gesättigte Quecksilberauflösung, in CRELLII chem. Annalen. 1789. T. I. p. 507.

40) Select. Medicam. p. 24.



animadvertendum puto, illum, qui apud Sephasianos venalis prostat, in *Hollandia* fabricatus, suspitioni adulterationis horribilis cum arsenico esse obnoxium, & obvariam praeparandi methodum, quoad proportionem partium constituentium multum inter se differre; cujusmodi exempla afferit *Cel. Scopoli* <sup>41)</sup>. Itaque optandum foret, ut pharmacopoei nostri illum normali methodo ipsimet conficerent. Basis hujus salis est calx mercurii fatis dephlogisticata, & altera pars acidum muriaticum omnium mercicissimum. Cujus maxima concentratio & per mercurii calcem quasi dephlogisticatio causa est, cur mercurius sublimatus omnium salium potentissimum sit corrosivum, quod omnes partes vivas animalium, quas attingit, qua tangit, convertit in escharam cito lapsuram. Acidum, quod tenet, nondum calce mercuriali saturatum existit. Historiam ipsius medicam hic non attingo, quum extra scopum meum posita sit. Utinam circa ipsius usum internum secum volverent tyrones verba magni *Boerhavii*; „prudenter a prudente medico! abstine si methodum nescis!“ Ad composita hujus praeparata referre possumus, 31) *Solutionem SWIETENII*, f. *liquorem sypphiliticum TURNERI*, *Mixturam mineralem Suecorum* e mercurii sublimati granis duodecim in spiritu vini unciis viginti quatuor dissolutis compositam; 32) *Tincturam antivenerream FALKII* f. *Essentiam balsami canadensis mundificantem PIDERIT*, e mercurio sublimato in spiritu vini soluto, & solutioni balsami canadensis, gummi guajaci & olei assafras cum spiritu vini saccae admixto; & 33) *Pilulas majores HOFFMANNI* f. *Francofurtanas* <sup>42)</sup>. Ad illas conficiendas mercurii sublimati drachma una dissolvitur in aquae fontanae sufficiente quantitate, qua solutione micae panis drachmae novem imbuuntur, & in pilulas grani unius pondere rediguntur. Illas ideo commendarunt, quod nullo sapore metallico molestae sint, & quum sensim modo in ventriculo solvantur, nulla inde irritatio metuenda sit. Recte hanc formulam damnat *Cl. Leonhardi* <sup>43)</sup>, quippe validissimum medicamentum vinculis glutinosiss illigatur, & pilulae induratae & exsiccatae in ventriculo commorari, & post longiorem moram, pluribus dosibus ingestis, forte una solvi & digeri possint in maximum aegri detrimentum. Tandem 34) *Aqua phagadaenica LEMERII*, f. *aqua divina FERNELII* huc pertinet, quae ex unciis duodecim aquae calcis vivae & drachma semis mercurii sublimati invicem mixtis constat. Hac in solutione mercurius sublimatus magna ex parte decomponitur, attracto ipsius acido muriatico a terra calcarea & praecipitata calce mercuriali. Itaque composita est e calce salita, calce mercurii, mercurio sublimato & aqua.

§. 39.

41) Ueber den verschiedenen Gehalt des äzend. Sublimats, in *CRELLII* chem. *Annal.* 1784. T. I. p. 24 sqq.

42) v. *JACOBI*, in *Samml. auserlesener Abh.*

für prakt. Aerzte. T. I. Fasc. III. p. 136 sqq.

43) v. *Annotations* ipsius ad *vers. diction. chem. MACQUERI* in *idioma german.* T. IV. p. 192.

Ad calces mercurii muriaticas merito numeramus 35) *Mercurium praecipitatum album*. A mercurio sublimato corrosivo eo differt, quod ipsius acidum muriaticum calce mercuriali plus saturantem sit, quam in hoc. Ipsa vero proportio, quae inter utramque partem constituentem hujus praecipitati locum habet, variat secundum praeparationis methodum, & praecipitantium naturam, utpote mox magis, mox minus abundet acido, ideoque diversae indolis sit. Plus acidi vehit & acrioris naturae est, si ex solutione mercurii in aqua forti per merum acidum muriaticum praecipitatur, ita ut vi caustica non multum distet a mercurio sublimato corrosivo; paululum mitius est, si sale culinari aut alio sale neutro & medio muriatico praecipitatur; adhuc mitius praecipitatum obtinebis, si solutioni ex argenti vivi uncis quatuor & aquae fortis purae uncis octo, cum multa aqua destillata dilutae addas salis ammoniaci unciam unam in aquae purae libra una solutam, & hanc miscelam per solutionem salis alcalini vegetabilis aëratu praecipites. Hoc praecipitatum medium quasi tenet locum inter mercurium sublimatum corrosivum & mercurium dulce. Itaque omnino optandum esset, hoc praeparatum semper normali methodo conficeretur, ut sibi semper sit aequale, nec medicum decipiat, nec aegro noxas afferat. Ad internos usus ob incertam indolem non adhibeatur, quum securiora habemus mercurialia.

Quando definitionem salium mercurialium supra (§. 36.) prolatam admittis, 36) *Mercurium dulce* ad ipsorum classem referre non licet. Constituitur quidem ab acido muriatico & calce mercurii; haec vero illud eo modo superat, ut indolem salis non prae se ferat, ac ipsius acidum nullos effectus prodat. Itaque hunc mercurium in synopsis tabulari mercurialium merito ad calces mercurii imperfectas retuli. Nullum enim habet saporem, nullam causticitatem, si rite paratus fuerit, & effectibus stipatur illis fere aequalibus, quos calces hydrargyri imperfectae exhibent. Praeparationis varias methodos hic transeo; sed hoc unum animadverto, sublimationes repetitas, quas vulgo praescribunt, cum vel sine addito argento vivo, non sufficere, quo minus mercurii sublimati quid vehat. Optandum potius, ut medici nullum alium mercurium dulcemitterent, nisi probe edulcoratum. Hucusque quidem maxime vulgaris fuit, & pro securissimo, certissimo, mitissimo habebatur praeparato; at omnino cedit mercurio solubili, qui non solum ipsius vices gerere potest, sed illum etiam mitiori indole, solubilitate, & partium tenuitate superat. Cum mercurio dulci convenit 37) *Calomel*, & 38) *Panacea mercurialis*. Vtrumque nomen merito pro synonymo mercurii dul-

cis habemus. Illud sex, hanc vero novem sublimationibus iteratis e mercurio dulci conficere jubent. Tantum abest, ut medicamentum hac operatione mitius evadat, ut potius, teste *Baumé* 44), qualibet in sublimatione pars mercurii dulcis decomponatur. Quum caeterum mercurius sublimatus, qui venalis prostat, ab adulterationis cum arsenico suspicione non semper immunis sit, illam mercurium dulcem praeparandi methodum, quam *Cl. Hermbstädt* 45) commendavit, omnino praefeream illi, juxta quam mercurius sublimatus adhibetur.

§. 41.

Acida vegetabilia hydrargyrum regulinum quidem non aggrediuntur, solvunt vero ipsius calces perfectas & imperfectas, & cum ipsis constituunt salia mercurialia, quae ob phlogisticam horum acidorum indolem mitiora & minus acria sunt, quam illa cum acidis mineralibus vulgariter parata. Nihilominus horum salium mercurialium classem multum neglexerunt medici, & pauca constant praeparata, minus usitata, & parum nota, quae huc referre possumus. Haec sunt 39) *Tartarus mercurialis* s. *Hydrargyrum tartarificatum*, & 40) *Hydrargyrum acetatum* s. *Terre feuilletée mercurielle de Fourcy*. Tartarus mercurialis conficitur, vel coquendo calcem hydrargyri cum acido tartari & sufficiente quantitate aquae purae, vel ope duplicis attractionis ex una parte mercurii sublimati corrosivi & quatuor partibus salis Seignettiani seu tartari tartarificati, una solutis & leniter evaporatis, quo facto primum tartarus mercurialis & postea sal culinare vel digestivum in conspectum venit. Ille refert sal nitens, micaceum, lamellis subtilissimis aggregatum, quod sub nomine *Pulveris Constantini* quondam inter Alchemistas notissimus fuit, & adhuc ipsorum spem alit, seu potius deludit. Apud nos nondum usitatus prostat tartarus mercurialis, mihique observationes circa ipsius usum medicum & effectus peculiare nondum innotuerunt. *Librum Pressurini* 46), in quo has observationes cum medicis communicat, adire nondum licuit.

§. 42.

Hydrargyrum acetatum (§. 40.) vel simplici solutione calcis mercurialis in aceto destillato digestionis aut coctionis ope, vel duplici attractione via humida e terra foliata tartari & mercurio nitroso obtineri potest. Sal praebet album, nitens,

44) Erläuterte Experimentalchemie. P. II. p. 477 seq.

45) In SELLENS neuen Beyträgen zur Na-

tur- und Arzneywissenschaft. P. III. p. 61 seq. & in Chemischen Abhandlung. P. II. p. 90 seq.

46) Traité des maladies veneriennes, à Geneve, 1773. 8.

nitens, micaceum, lamellosum. Partem constituentem efficit 41) *Pilularum s. Trochiscorum* KEYSERII, quarum compositionem publici juris fecit *Richard de Hauteferk* 47). Per multas ambages juxta hancee descriptionem mercurius acetatus conficitur e calce mercurii perfecta & aceto destillato; solutio postea cum manna & farina in pilulas redigitur. Jamiam fere exolevit hoc praeeparatum.

#### IV. Hydrargyrum sulphuratum.

##### §. 43.

Hydrargyrum facile solvitur a sulphure fuso, & cum hoc combinationem inintimam ac chemicam. Si enim argentum vivam additur sulphuri leni igne fuso, sub protracta agitatione, in pulverem nigrum, insipidum, cum ipso abit, qui etiam Aethiops mineralis vocatur, ab illo vero per triturationem parato multum differt. Hac enim via non solum faciliori negotio mercurius sulphuri adunatur, sed etiam majori copia ab hoc suscipitur. Septem enim partes mercurii ab una sulphuris parte, ope fusionis, solvi possunt. In hoc per fusionem parato Aethiope inest hydrargyrum maxima ex parte regulinum, & hac ex causa alios prodit effectus, quam ille, qui trituratione & mixtioae conficitur (§. 24). Moleculae mercurii imperfecte calcinati, quae ipsi adherent, colorem nigrum, & speciem aethiopsis ipsi conciliant. Quando nunc aethiops in vase apto & igne sufficiente sublimationi submittitur, vapores sulphuris solvant illos mercurii regulini, & partes mercurii calcinatae simul in regulinas ope caloris candentis reduuntur. Quae partes regulinae mercurii cum sulphure chemice unitae constituunt *cinnabarin*.

##### §. 44.

Cinnabaris ergo est mercurius regulinus cum sulphure intime unitus, vel, ut terminè technico utar, mineralisatus. Ex illis, quae supra de hydrargyri regulini in corpus humanum efficacia recensui, facile elucet, cinnabarin esse plane inertem, nec ullos prodere posse effectus salutare & caeteris mercurii praeeparatis analogas. Id quod experientia quoque probat, & nemo jam inficias ibit. Omni sapore ac odore destituitur, nec in aqua solubilis est cinnabaris. Ipsa acida vitrioli & nitri mercurium in cinnabari non aggreduuntur; id quod simul probat, hydrargyrum ipsi inesse regulinum, & minime calcinatum, cujus solubilitas in acido nitri per sulphuris particulas illas mercurii involventes impeditur. Metalla, quae sulphure sunt mineralisata, in

47) Recueil d'observations de medecine des hopitaux militaires. T. II. Paris, 1772.; in idiom.

germ. transl. in Sammlungen zum Gebrauch praktischer Aerzte. V, I. F. 3. p. 152.


in statu regulino revera inesse miferis, plurimis argumentis quoque nuper probavit Cl. Brühl <sup>48)</sup>. Quae quum ita sint, quisque ipse perspiciet, quid a cinnabari insolubili, insipido, inodoro, plane inerti expectandum, si intus sumitur, quidve de ipsius viribus aperientibus, sudoriferis, sedantibus, anodynis & antispasmodicis sit credendum. Omnino quidem efficax esse potest cinnabaris, si in suffumigiis adhibetur adversus venerea mala narium, oris, gutturis, & saepe infortunato successu operatur; at hoc modo cinnabaris decomponitur & pars ipsius regulina in calcem abit. Abstinentum ab hac methodo mercurium adhibendi, quum in ipsa certi esse non possumus, quantum mercurii a corpore suscipiatur. Ab hoc ergo modo applicandi mercurium nulla valet consequentia ad ipsius efficaciam, si intus per se sumitur. Duae prostant in officinis cinnabaris factitiae species, scilicet 42) *Cinnabaris factitia vulgaris*, & 43) *Cinnabaris antimonialis*. Vtrumque vero nomen potius unam eandemque rem significat, quam diversam. Illa enim e mercurio vivo & sulphure vulgari, haec vero ope duplicis attractionis e mercurio sublimato & antimonio crudo conficitur. Sulphur autem, quod antimonium vehit, a vulgari non differt; itaque cinnabaris ex ipso paratus non differre potest a vulgari cinnabari. Exulent ergo e materia medica hae carae adhuc reliquiae militum levis armaturae!

46) Etwas über die Vererzung der Metalle, in CRELLII chemischen Annalen. Ann. 1791. P. 309 seq.



PICA 1078





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
 DE  
 MEDICAMENTORVM  
 MERCVRIALIVM  
 VARIA INDOLE.

EX I  
 GRATIOSAE FAC  
 IN ALMA  
 PRA  
 VIRO ILLVSTRIS  
 DOC  
 IO. CHRIS  
 MEDIC. ET CHIRVRG. DOC  
 DIRECT. INSTIT.  
 CIVITATIS  
 PRO GRADV DOCTORIS  
 RITE C  
 DIE XXVIII. O  
 PVBLIC  
 CHRISTIANVS C  
 FRISIO  
 HALAE  
 TYPIS

